

Linguarum orientis addiscendarum causa adsedit lectionibus Bosseckii, Dresdii, Hebenstreitii. Philosophiam omnem ex ore Crusii, Telleri, et Hebenstreitii hausit; historiam philosophorum Burscherus, civilem et ecclesiasticam Ernestius, docuerunt. Jam animum applicuit ad theologiae studium, itavit igitur ad Crusium, eiusque praelectionibus, publicis et privatis, interfuit omnibus. Neque tamen neglexit scholas Stemleri, Bahrdtii, Ernestii: fuit igitur inter auditores illius, cum de ecclesiae symbolis differeret; istius, cum theologiam dogmaticam, moralem, harmoniam Euangelistarum, et pastoralem prudentiam traderet; huius denique artem interpretandi libros sacros, plerosque N. T. libros, theologiam symbolicam et dogmaticam, illustrantis. Agnoscit, his se doctoribus debere plurimum. Nuper admodum, ut petierat, ad tentamen admissus, Artium Magister e valuis publicis declarari meruit.

H E N R I C V S N V D O V

G E D A N E N S I S

Medicinae Baccalaureus.

*geb. 1770. Sept. 1790. Prof. Dr. phil. et Therapie von medicinissimo  
Institut. g. S. F. Petersburg.*

Anno Seculi quod viuimus LII. ibi natus est, patre Joanne Carolo, inter Senatus ciuitatis Palaeopolitanae Gedanensis Scribas primo, quem amisit quattimus; matre, quam adhuc superstitem veneratur, Agatha Eleonora, gente Grischovia. Puerum, patre orbum, paterno animo amplexus est coniux materterae, S. R. Kelzius, ad aedem Mariae pastor, cui, praeter multa alia beneficia, quae gratissimo animo prosequitur, etiam primam institutionem debet. Hoc post quinquennium extincto, venit in disciplinam rectoris Scholae Marianae, Mündelii, paulo post vitrici sui, qui iam sacris praefest in vico Käsemark, estque ab eo tam liberaliter habitus, et tam praeclarus institutus, ut obstrictum se illi per omnem vitam lubens fateatur. E reliquis Iudi Mariani praceptoribus laudat diligentiam et fidem Kalkhofneri, Schulzii, Völkeri. Jam ad Gymnasium academicum transgressus, lectionibus Bertlingii, Verpoortennii, Gralathi, Sendliei, Hanovii, Kühnii, Wernsdorffii, Groddekii denique, interfuit per biennium, eo cum fructu, ut posset bene praeparatus salutare Academiam.

C

demiam.